

Hieron.

merendam D. Hieronymus. Per hanc ait, ostenditur Deus & fo infecus, & in rinfecus & infusus, & circumfusus: dum & solio ambiente non concluditur & pugillo concludit, ac palmo.

QUAESTIO XXX.

Qua serie sermonis mulier hanc de adoratione questionem hic Christo proponat.

196.

Dixerat mulier antecedenti versu: Propheta es tu? & statim subdit immediate: Patres nostri in monte hoc adoraverunt? quae verba non videntur multum inter se coherere, sed potius esse disparata. Quisnam sit nexus, & qualis in his verbis dependentia, investiganda est? & quomodo conveniant, & inter se connectantur?

197.

Prima solutio, & legitima questionis traditur à Ruperto lib. 4. in Joan. Quasi diceret mulier: A diebus multis non est visus Propheta in Israël, loquere nobis ex ore Domini da nobis te consulentibus responsum iustitiae in sermone Domini. Ecce vetus, longumque certamen: vos Judaei non coëtimini nobis Samaritanis, quia non adoramus in Jerosolymis: dicitis enim, quia tantum ibi adorare oportet. Patrum nostrorum repugnat autoritas; nam illi in monte hoc adoraverunt. Tu ergo, cum sis Propheta, da resolutionem, tolle questionem. Mulier utpote curiosa, & jam sollicita de sua salute, ubi invenit optimum Magistrum, & Prophetam statim questionem à longo tempore agitatum proponit, ut ex ejus ore tanquam à sermone Dei, resolutio pateat. Et in hoc mulier maxime laudanda quae voluit instrui ab optimo Magistro, ac insigni Propheta, ut ei jam videbatur.

A bono magistro interroganda veritas.

198.

Secundò respondet D. Cyrillus lib. 2. cap. 90. Quamvis ait, Christum Prophetam putaverit mulier; quia tamen Judaeum ex habitu esse videbat, Samaritanorum adorandi more gloriatur, & Judaeorum arrogantiam despicit. Quamvis mulier Christum agnosceret Prophetam, adhuc tamen parum hominem existimabat ex Judaeorum genere, qui maxime gloriabantur, quod apud eos esset templum Domini. Ideo Samaritana ad deprimendam Judaeorum arrogantiam, adducit questionem de adoratione & quòd Patres in eo monte, qui erat apud Samaritanos adoraverint.

199.

Tertiò Toletus in comment. Christus Dominus objugaverat mulierem, quòd petulanter cum sex viris esset commixta; & cum Christum agnosceret Prophetam, defecit sermonem ad celebrem inter eos questionem, in quo loco sit adorandum; ut colloquium de sua incontinentia inceptum interrumpere, propositis hisce quae ad Prophetam sibi pertinere visa sunt. Saepè enim contingit, ut quando aliquid minus gratum aut pudorem afferens audimus, aliquam valde diversam ingerimus questionem, de qua dum excitatur sermo, ea quae erant auribus molesta, omittimus.

Minus gratum in sermone interruptivus questionis diversae.

200.

Quartò, Paulus Sherlogius in cap. 1. Cantic. vers. 6. investit. 3. sect. 6. n. 68. Dominus soggillaverat mulierem de libidinosa voluptate. Quinque viros habuisti, & hunc quem habes, non est tuus

vir? mulier ad hæc respondet. Propheta es tu? Patres nostri in monte hoc adoraverunt. In quibus verbis subterfugium suae culpae, ac incontinentiae quærit, Nam illud templum apud eos introductum, eo quòd Patres in eo loco adoraverunt schismaticum, ac sacrilegum erat. Ac proinde ait mulier, cum sis Propheta, optimè cognoscis, templum hoc esse irreligiosum, & quod sub erronea secta, & depravatis magistris non discatur probitas morum, sed colluvies luxuriae, ac vitiorum; ea enim est impiarum conditio sectarum, ut ad omnem scelorum licentiam invitent, ad omnem meram voluptatem alliciant.

201.

Quintò Simon Cassianus lib. 11. cap. 2. Hinc Cassianus, mulier ait, jam pius erat affectus, jam de cultu vera religionis inquirebat, & in bonis moribus subitofacta est, ac omnibus posteris honestam conversandi, & loquendi tradidit formam; cum viro Religioso de Religione, cum sancto de sanctitate, cum honesto de honestate, cum sapiente de disciplina, & doctrina, cum bono de bonitate tractandum sit. Valde præpotens bona conversatio, & societas. Mulier quæ huc usque voluptatibus, ac luxuriosis verbis erat dedita, ubi cum Christo in societatem, ac habet sermonem, jam subito tota mutata est; & cum pio affectu, nil jam cum sancto, ac Religioso, nisi de sanctitate, ac Religione loquitur.

202.

Impium decretum exiit à Pharaone, ut omnes pueri Hebræorum interficerentur: Timorem obsterices Deum; & non fecerunt juxta præceptum Regis Aegyptii, sed conservabant mares, Exod. 17. Mulieres hæc erant idololatæ? quomodo ergo timent Deum, quem non agnoscent? nunquam voluntas fertur in incognitum? invidiam imperium, & parvi faciunt ob timorem illius, quem non agnoscent? Hujusmodi mulieres, quæ obstetricandi fruebantur scientia, colloquium, ac amicitiam ex suo officio cum Hebræis frequenter habebant, quæ mirabilia suis parentibus facta saepè narrabant, & quanto Deus supplicio injurias ei inflicta vindicaret. Ex quo obstetrices ita profecerunt, ut timerent Deum quem ignorabant; & ita sævissimum scelus auferent. Lyranus: Informata fuerunt obstetrices per mulieres Hebræas ostendentes eis offensam Dei.

203.

Infelicissimus proditor ille Judas, fur erat & loculos habebat, Joan. 12. n. 6. Et cum multas rapinas, ac latrocinia perpetrasset, nunquam aliquid restituit dominis suis, sed in ipsis alienis percipiendabatur bonis, maximeque delectabatur. Tandem iniquus Dominum vendidit, & postea: Penitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccavi tradens sanguinem justum, Matth. 27. n. 3. Sed unde tibi, famose latro, restitutio, qui nunquam aliena reddidisti? Unde tibi penitentia qui in bonis alienis maxime delectabaris ablati: Unde de hujusmodi restitutione, ac penitentia maxime admiratur Origenes lib. 2. contra Celsam. Quis si avarus ille Judas, furavi solitus, restituit triginta argenteos, satis apparet, disciplinam Christi efficacem in eo fuisse ad movendam penitentiam. Pecunia illa, qua Dominus est veditus, ad ipsum dicebat, quandam respectum, ac relationem, ac proinde, ut dicens respectum ad Dominum conjuncta seum nequissimo Juda Latrone, petuit in eo generare quemdam bonum motum restituendi, ac penitendi licet imperfecte. Unde ait D. Maxim. ho. de Juda traditore. Vide quanta vis Dominica sit pecunia.

204.

Quæritur, quomodo sit peccunia. Maximus.

QUAESTIO

QUAESTIO XXXI.

Quanto in populum suum amore, ac propensione questionem mulier proponat?

204.

Cognoscens mulier, Christum esse Prophetam, studio sciendi veritatem, proponit ei questionem maxime agitatum inter Judæos & Samaritanos, circa locum in quo erat adorandum, ut Christus Dominus daret resolutionem, ut dixi superiori quasi. ex Ruperto. Et valde mirum, quantum in ipsa muliere, quæ affectabat scire verum, appareat propensio, ac inclinatio in populum suum. Ait enim: Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quòd in Jerusalem oportet adorare. Suorum concivium opinionem patrocinatur autoritate Patrum, scilicet Jacob, qui in illo monte adoraverunt. At pro opinione Judaeorum cum essent manifesta & aperta Scripturæ testimonia, nullum commemorat; sed tantum ait: Vos dicitis, quia in Jerusalem, ut explicat Maldonatus, vos dicitis sine ullo fundamento, sine ulla ratione. Et jam dum integerrimè quærit, amor, & propensio in unam partem signa præbet.

Etiam dum quis interrogat, quærit, amor, & propensio in unam partem declinat.

205.

Ex alio fundamento hunc amorem in populum suum ponderat Rupert. lib. 4. in Joan. Ait enim mulier: Patres nostri in monte hoc adoraverunt, scilicet Jacob, qui in illo monte adoravit Deum fortissimus Israël. Et non commemorat, quomodo Jeroboam, & decem Tribus, quæ cum eo recesserant à Juda, ac domo David, vitulos aureos fecerunt, & in eo loco adoraverunt. Has inquit Rupert. causas ita mulier in proposita questione reticuit. At illa propria culpa maculas satis humiliter confessæ fuerat. Non ergo vitio, sed laudè potius illi est, quod communem gentis suæ ignominiam satis omnibus notam predicare non properavit. Præclarum mulieris ingenium maxime studuit, defectus, ac errores suæ gentis tegere, & operire; & ideo tantum meminit adorationis, quæ illo in loco Deo dedicabatur: at turpissimum vitulorum cultum silentio premit. Hoc jam hauserat de ingenio Jesu, qui discipulos misit in civitatem, dum cum hæc muliere agitur, ne feminæ alienigenæ defectus agnoscerent. Vide suprâ quasi. 14. n. 100.

206.

Immo maxime preme illa verba: Illa propria culpa maculas confessæ. O femina laude omni prosequenda, quæ celeriter & animosè proprias culpas profiteretur ac tota dedita est, ut suæ gentis errores magno silentio involveret, atque tegeret. Multi multa dicunt, quare Moyses in libris Genes. de Angelorum peccato nullam facit mentionem, cum primorum parentum delictum desertissimè enarret. Quod jam notavit Aleuinus in Gen. Vides peccatum Angeli tacitum; hominis autem patefactum. Sed cur illud silentio præteritur, hoc verò apertis verbis describitur? Delictum Angelorum alienum erat crimen: at culpa primorum parentum exitit causa, ob quam peccatum originale diffusum est in genus humanum, ex quo filij iræ nascimur multis miseris adstricti. Ideo sanctus Moyses, quod alienum erat crimen, prætermitte; quod vero proprium dicebat defectum, maculam, ac inquinamentum satis late scribit.

Aleuin. Cur Angelorum peccatum non scribitur.

Joannis 4. n. 21.

Dicit ei Jesus. Mulier crede mihi, quia venit hora; quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

VERSIONES.

D. Chrysofom. Mulier crede mihi dicens, homil. de samar. Pagnin. Tertul. Quòd venit hora. lib. de Trid. cap. 6. D. Chryf. Orat. Crede mihi mulier, quòd venturum est tempus. daos.

EXPOSITIO.

Respondet Dominus mulieri, & non ad questionem, quam proposuerat, in quo loco esset adorandum. Quod eleganter ponderat D. Chryf. hom. de Samarit. to. 6. Noluit, ait, interrogationi respondere, ut neque retineretur, neque asperitorem redderet mulierem; nihil aliud illi propositum, nisi ut mulierem veneretur, & ad salutem vitam traduceret, propterea nihil asperius animæ eam prolocutus est: nam, si dixisset, Jerosolymis locum esse ubi adorare oporteret, ipsam exasperasset. Idem ferè Hugo: Saepè una resolutione, questionis novæ questiones pullulant, & ipsa resolutione pars una offenditur: cum autem veritas esset, quòd non in illo loco, sed in Jerosolymis esse adorandum, ne hoc audito mulier exasperaretur, ideo Dominus pro nunc indecisam relinquit questionem; nec enim semper resolvenda est, nec semper dicenda omnia: & ad altiora mulierem promoveret.

207.

Chrysof.

Hugo:

Nec omnis questio semper resolvenda, nec omnis veritas dicenda.

208.

Mulier, ait Jesus, communi nomine sexus, & non proprio eam appellat, cum optimè illud sciret; nam appellatio proprii nominis nota familiaritatis est, ut dicitur g. 33. in fine; quam, ut optimus Magister cum muliere declinandam docet. Crede mihi. Postulat Dominus fidem, sine qua, ut notant D. Chryf. hom. 32. Simon Cassian, lib. 11. cap. 2. divina mysteria intelligi & percipi nequeunt. Et quamvis Dominus dixerat mulieri: Vade, voca virum tuum, ut ei daret aquam vivam, num. 16. tamen absque præsentia mariti corporalis, ei aquam vivam dat; quia jam mulier, ut inquit D. August. Beda, vocaverat virum suum, scilicet intellectum, quo credebatur, & assentiebatur dictis Christi: Venit hora. Aliqui cum Maldonato legunt de præsentia; tamen Tertul. citatus, Pagnin. D. Hieronim. c. 2. Isai. n. 23. Caeter. Tolet. de futuro legunt, veniet; & in hoc prædicat Dominus nostrum tempus legis gratiæ, ut explicant Ammonius, D. Cyrill. Unde minus probabiliter, Euthym. Salmeiron ad tempus exidij Jerosolymitani, referunt, quia tunc templum destructum fuit. Sed Christus Dominus loquitur de lege gratiæ, in qua totus ille cultus

Chrysof. Cassian.

Sine fide non intelliguntur mysteria.

August. Beda.

Maldonat. Tertull. Pagninus. Hier. Caeteran. Tolet. Ammonius. Cyrill. Euthym. Salmeiron.

Alber. Mag. D. Thom. Bonavent. Hugo. Malach. 1.

cultus Judaicus, qui erat in templo illo, celsavit, & abolitus, ac extinctus est. Et hanc extinctionem Moisaicæ legis prædicit Dominus in hoc loco, ut notant Albert. Magn. D. Thom. D. Bonav. Hugo, prout ait: Neque in monte hoc, neque in Ierusalymis adorabitis, sed in lege gratiæ in omni loco adoratur Deus. Malach. 1. d. 11. In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus. Et per hoc innuit Dominus rationem, quare non respōdeat quæstioni propositæ de adoratione Ierusalymis, quia jam illa quæstio erat supervacanea, & inutilis, cum jam adesset tempus, ut lex Moisaica celsaretur. Aderabitur Patrem, dum Patrem dicit, ut ait D. Cyril. ad Filium erigit considerationem, quia simul cum Patre Filius & Spiritus sanctus adoratur, & ideo non dixit adorabimus, sed adorabitis, ut ponderat D. Ambros. lib. de fide cap. 3. Non dixit ait, adorabimus, quod nique dixisset, si consortium nostrum subiret obsequium.

Cyrril. Ambros.

Ioannis 4. v. 2. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judæis est.

VERSIONES.

Arias. Vos adoratis, quod non nostis. Arabicus. Quem nescitis. Syriacus. Quia vita ex Judæis est.

EXPOSITIO.

Postquam Dominus mulierem crexit ad altiora, jam aliquantulum respondet quæstioni propositæ, & Judæos Samaritanis anteponit. Vos, Samaritani, adoratis, quod nescitis, quia licet verum Deum adorarent, multas falsas opiniones, & errores, circa Deum habebant. Unde rectè dicuntur, nescire Deum. Sicut licet Turcæ verum Deum adorent, quia tamen multa falsa permiscerunt, rectè dicuntur, Deum ignorare. Et licet Samaritani, ut notant Albert. Magn. D. Bonaventura, Rupertus, Hugo, Cajetan, Janfenius verum Deum Israël reciperent, simul Idola, & falsos Deos adorabant; & ideo dicuntur, nescire Deum, quia Deus in substantia, & natura unus est. Aliter etiam explicant Tertull. lib. de Trinit. cap. 6. D. Chrysostr. homil. 32. Theophylactus, Euthym. D. Thom. Hugo, qui ait: Vos Samaritani ex ipso modo adorandi ostenditis, vos nescire Deum; quia putabant, eum esse localem, & particularem Deum, & illo monte tantum exaudire, & non in alio loco; hæc enim omnia repugnant divinæ naturæ, cum nullo loco circumferri possent, ideo dicitur: Vos adoratis, quod nescitis.

Alber. Mag. Bonavent. Rupert. Hugo. Cajetan. Iasonius. Tertull. Chrysostr. Theoph. Euthym. D. Thom. Hugo.

Nos adoramus, quod scimus. Loquitur Christus de se, secundum humanam naturam, prout homo erat ex genere Judæorum. Et ait: Nos, scilicet Judæi, adoramus, quod scimus, quoniam Judæi veram de Deo cognitionem habebant. Unde eleganter notat Ammonius: Semetipsum, ut

Ammon.

homo inter adoratores collocat, cum una cum Deo Patre, & à nobis & à sanctis Angelis adoretur. Mira humilitas Christi Domini, qui de se non commemorat, quod sit Deus, qui cum Patre, & Spiritu sancto adoratur à nobis, & à sanctis Angelis, sed quod sit homo nobiscum adorans. Patrem, Quia salus ex Judæis est. Tertull. lib. 4. contra Marcionem. Origen. Ammon. D. Cyrill. D. Chrysostr. D. Thom. Rupert. D. Bonav. Salus, id est, Salvator mundi Christus Jesus, qui est nostra salus, & vita, seu, ut explicant citati, Ammonius, Chrysostr. Theoph. Euthym. Salus, id est, Christus verus Deus, & homo dans, ac communicans sui cognitionem. Quia salus, illa particula Quia reddit causam, ob quam Deus populo Judaico dederit majorem sui cognitionem: quia maximè conveniebat, ut ille populus, ex quo Dei Filius sumpturus erat carnem, majorem Dei cognitionem haberet, ut considerata Dei magnitudine, maximè veneretur, ac gratificetur ineffabile Incarnationis mysterium, ut rectè ponderat D. Maccarius senior hom. 38. Ubi enim major est cognitio doni, ibi est & major obligatio.

Christus de se humilia prædicat, & abscondit magna. Tertull. Origen. Ammon. Cyril. D. Thom. Chrysostr. Rupert. Bonavent. Ammon. Chrysostr. Theophil. Euthym.

Ubi major cognitio beneficii, ibi major obligatio. Maccarius.

Ioannis 4. v. 23. Sed venit hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

VERSIONES.

D. Chrysostr. Veniet hora. homil. 32. Multi ex Græc. Adorabunt Patrem in spiritu, & integritate. Theophylactus, Adorabunt Patrem spiritu, & veritate; nam Pagninus, & Pater tales quærit ipsius adoratores. Syriacus. Etenim Pater tales adoratores poscit.

EXPOSITIO.

Superiori versu, ut patet ex ejus expositione, & rectè notat Euthym. cum Judæos Samaritanis præposuisset Dominus, rursus nunc Judæis præponit Christianos, ut suspicione careat prælatio, & non appareat Judæis gratificari tantquam Judæis. Et incipit explicare illam adorationem, quam prædixerat futuram in lege gratiæ. Venit hora, & nunc est. Superiori versu annuntiavit, quod illud felicissimum tempus adveniret; non tamen enodavit an esset in proximo, vel in longinquo; modò verò paulatim ducens mulierem ad altiora, explicat, quod illud tempus, non solum est in propinquo, sed quod jam de præsentis actualiter est; quia lex gratiæ incipit ab adventu Christi, ac ejus manifestatione. Illud verbum, Venit hora, de præsentis lege, ut clarius explicant subsequentia

Euthym.

Lex gratiæ incipit ab adventu Christi.

Fortius movent præsentia, quam futura.

Galat. 6. 2. Cor. 6. Desideria in paucum nostrum obsequium appretiat.

212. Rupert.

Isa. 29.

Psal. Nam datur vera adoratio sine cordis affectu. Origen.

Cyrril.

via verba, & nunc est. Et Dominus de præsentis loquitur, ut magis accendat, ac excitet mulieris appetitum; fortius enim movent præsentia, quam futura. Et nota, quod ipsum tempus legis gratiæ, prout nobis datur, & communicatur à Christo; dicitur hora, Venit hora; prout verò est in nostra potestate ad mereendum, ac obsequia Deo præstanda; dicitur tempus: Dum tempus habemus, operemur bonum, ad Galat. 6. num. 10. Ecce nunc tempus acceptabile. 2. Corinth. 6. v. 2. Tempus autem, non solum horæ & dies, sed mensis, & annos includit. Deus enim beneficia, quæ nobis largitur, in pauca reputat; nostra verò obsequia in multum appretiat.

Veri adoratores. Veri, id est, proprii adoratores quicunque sint, ut ait Rupertus. Ubi non est Indæus, neque Græcus, immò magis ad rem; ubi non est Indæus, neque Samaritanus Adorabunt Patrem, hoc est, vera adoratione colebunt Deum in Spiritu, & veritate. Opponit Dominus adorationem Christianorum adorationi Samaritanorum, ac Judæorum; nam populus Samaritanus ac Judæicus, cum totus esset depravatus, Deum non adorabat corde, & spiritu: Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eorum longe est à me; Isa. 29. num. 13. At veri adoratores adorabunt spiritu, & corde, Confitebor tibi Domine, in toto corde meo; Psal. 9. num. 2. Non est vera adoratio sine interno cordis affectu, ut ponderat Origenes hic. Qui totus, ait, in figura corporis que rebus defixus est, quas cum affectu magnopere videtur, in figura & non in veritate, Deum veneratur; ob eam causam verus adorator, & cultor dici non potest. Nota verba, Qui totus, Textus. Et veritate. Samaritani non adorabant in veritate, qui erroneam de Deo cognitionem habebant. Et Judæi non adorabant in veritate, sed umbris, & figuris ipsius legis. At veri adoratores Christiani adorant Patrem vera cognitione Jesu Christi, & vera carne, & sanguine ipsius in Sacramento Altaris, ac veris Sacramentis, quæ per typos, & figuras legis veteris adumbrabantur. Nam Pater tales quærit, qui adorant eum; hoc est, ut explicat D. Cyrillus lib. 2. c. 93. tales adoratores sunt gratissimi Patris, qui ipsum adorant spiritu, ac corde, & vera cognitione, ac carne, & sanguine Jesu Christi.

QUESTIO XXXII.

Quare dicatur, quod adoratio debet esse in Spiritu, & veritate?

213.

Explicatur Hæreticorum error.

Quid sit adorare in Spiritu, & veritate, quantum mens nostra capit, jam explicavi in expositione. Aliorum placita referam, ut eligas, quod probabilius judicaveris. Illud tamen admoneo contra Hæreticos nostri temporis, quod adoratio in Spiritu non excludit adorationem externam, sed potius eam amplectitur. Nam adoratio interna mentis est veluti animæ adorationis externæ, quæ per actiones corporis exercetur. Tota enim Scriptura clamat; quod Deus sit colendus, ac adorandus confessione, psalmis, vocibus ac aliis multis operationibus externis; nam ipsi met Apostoli Petrus, & Paulus; non sola mente peregerunt oratio-

nem; sed etiam adhuc buerunt sonum vocis, genitum flexionem; manuum elevationem & capitis dejectionem. Act. 9. num. 40. & 16. v. 25. & 1. Corinth. 14. num. 4. & E. h. 3. num. 4. & 1. Timot. 1. num. 8. Ad rationes quæstionis deveniamus.

Respondent primo Origenes lib. 1. in Periaetion. Hilarius lib. 1. de Trinitate. D. Chrysostr. homil. 52. D. Cyrillus lib. 2. cap. 93. Theophylactus, D. Thomas, qui ait Veri adoratores adorabunt in Spiritu, hoc est; non carnis carnalibus Iudæorum, & Samaritanorum; & in veritate absque umbris, & typhis Moisaicæ legis, quæ omnia erant figuræ futurorum; & indicabant mysteria, quæ modò in nobis in lege gratiæ complentur.

Secundo Toletus in comment. Quod veri adoratores adorabunt in veritate, hoc est non in figuris, & umbris, ut Deum colebant Judæi, in Spiritu, id est, in Spiritu sancti gratia, fide, charitate, & aditus ad operationes procedentibus. Tertio Hugo, In Spiritu, hoc est, in corde, & non ore tantum. Quia nihil valet strepitus labiorum; ubi motum est cor. Et in veritate, hoc est non fictè. Spiritus sancti disciplina effugient fictum; Sapient. 1. num. 5. Vel Sapient. 7. Hugo. Reprehenduntur peccantes temporalia. Et qui non perseverant. Hugo. Cava. Nota potentia in Deum defixa.

Sexto D. Athanasius Epistol. ad Serapionem. D. Baullius lib. de Spiritu sancto. Magnus D. Antonius Abbas Epistol. 3. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 22. Rupertus lib. 4. in Joan. In Spiritu, id est in Spiritu sancto; in veritate, id est, in Filio; quia unum in tribus personis Deum adorant. Septimo Origenes, Ammonius In Spiritu, hoc est, in virtutibus animi; & in veritate, hoc est, in corporis mortificatione. Octavo, Sedulius lib. 2. Psal. cap. 5. In Spiritu, id est, in ipsa virtute interna animi; in veritate pro ipsa mer veritate; & conformitate ad rem explicat. Et ait, Magni est verò postquam dicit, in Spiritu adjicit, & veritate; quoniam ritum Dei gerentes veritas sequitur; alienum fallacia comitatur. Nullus enim est verus adorator, sine affectu ad veritatem, quæ maximè debet in suis operationibus elucere.

214. Origen. Hilar. Chrysostr. Cyril. Theoph. D. Thom.

215. Tolet.

Hugo.

Sapient. 7. Hugo. Reprehenduntur peccantes temporalia. Et qui non perseverant. Hugo. Cava.

Nota potentia in Deum defixa.

216. Athanas. Basil. Anton. Abb. Ambros. Rupert. Origen. Ammon.

Sedulius.

Ad veram adorationem veritatis affectus.

217. Athanas.

Exoni locus, ac cultus Dei maximè proportionatus.